



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imago saeculi XVII. ad annum huius saeculi X. producta

Neuhusii Paderbornae, 1710

Annus 1635.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29436

Collapsas res Suecicas erigit Rex Franciae , & in præmium Philippsburgi sibi à Suecis dediti ; mittit in subsidium Weinmario sub Duce Forcæo viginti armatorum millia.

Neapoli ex morbo & vulnere lethali, quo in momenta singula exspiraturus putabatur, repente ope D. Xaverii Indiarum Apostoli convaluit P. Marcellus Mastrillus Soc. Jesu , attonita ad rei stupendæ novitatem universa Neapoli, quod illum videret die postero sacris divinis operantem ad aram pene vegetum, & integrum, pro quo noverat pridie jam paratas fuisse inferias. Thavmaturga imago, per quam editum tam insigne & illustre prodigium, deportata est pauplô post maximo cum apparatu, & frequenterissima totius nobilitatis ac populi Neapolitani supplicatione ad templum Collegii, & in ædicula S. Xaverii collocata , ubi etiamnum visitur, coliturque incredibili pietate & concursu fidelium. *Informatio Neapolitanus & processus authenticus.*

ANNO 1635.

AD anni initium componitur pax inter Imperatorem & Saxonein, in quam illicò concessere Principes non pauci, inter quos

311000

quos Elector Brandenburgicus, & Dux Wittenbergiae ; eandem amplexa est Norimberga, Francofurtum & Erfordium, aliisque status & civitates.

Exeunte Januario post toleratam longam obsidionem sub Comite Turriano facit dditionem arx Herbipolensis.

Philippoburgum à Gaspare Bambergero per militare stratagema feliciter intercipitur, & præda copiosissima reportatur. Præter tormenta ænea 128 , frugum copiam propè immensam , vini ingentem copiam, & Gazam plurimam solius pecuniæ Gallicæ reperta sedecies centena aureorum duplonum millia,

Augusta Vindelicorum fame cogitur ad dditionem à Wallio Duce Bavarico.

Treviris Gallicum præsidium ejicitur, & Elector captivus abducitur Viennam ad dicendam causam de introductis Gallorum præsidiis contra constitutiones Imperii. Petitum quidem à Pontifice , ut Elector vel dimitteretur, si innocens, vel si nocens restitueretur potestati Ecclesiasticæ judicandus ab ipso Pontifice, sed bona verba data Pontifici.

Idein cum minis postulavit à Cardinale Infante

Infante Belgarum Principe Rex Galliæ, sed remissus ad Cæsarem, mox missio faciali Bruxellas bellum denunciavit Austriacis; quod & mox intulit, cladéque non contemnenda Hispanos ad Namurcum affecit; territus tamen paulò post adventu Piccolominei Ducis Cæsarei & secessu Batavorum ob amissam arcem Schenkianam cum ignominia ab obsidione Lovanii cedere coactus fuit.

In Alsatia Dux Lotharingiæ varia loca occupat. Heidelberga, Dilsberga, Wormatia, & Moguntia cedunt in potestate Regis Hungariæ. Joannes Werthius variis præliis Gallos Suecosque lacepsit, vincit fugatque, aliquoties tamen non sine reciproca clade,

In partibus Italiæ vallis Tellina à Gallis occupatur tota; Valencia tamen ab eorum Duce Crequio, Sabaudo & Parmensi frustra obsidetur.

Vergente in finem anno Urbanus in Aula Regia Vaticani mutavit elogium Reipublicæ Venetæ, quod meruerat in defendendo Alexandro III. hinc graves illius querelæ contra Pontificem.

ANNO 1636.
Inter Polonos & Suecos induciæ usque ad annos